



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulvm I. Non amplius.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

TITULUS VII. DE INSTITUTIONIBUS.

Dostquam de beneficijs, ipsiusque beneficiarijs quaedam dicta sunt, nunc de modis acquirendi beneficia, seu de institutionibus subijcitur.

admonet *Gl. hic. & annotavi in cit. c. cum M. in not. 4.*

CAPITULUM II. In Ecclesia.

CAPITVLVM I. Non amplius.

PARAPHRASIS.
Non plures in Monasterijs, & Clericorum Collegijs, institui debent, quam de bonis Ecclesiae, absque penuria ali possint. *Sumptum est ex Concilio Arclatenfi 4. sub Carolo magno c. 8.*

SUMMARIUM.
In Ecclesijs Collegiatis, & Conventualibus tot institui debent, quot possunt commode ali, deductis tamen deductis.

NOTANDUM. Tot personae in Ecclesijs Collegiatis & Conventualibus institui debent, quot ex redditibus Ecclesiae commode, & sine penuria ali possunt. Consentit *c. auctoritate 4. hoc tit. c. quoniam 9. de vita & honestate Clericorum.* & videri potest *Gl. in c. ult. de verborum significatione.* & quae dixi *in c. cum M. de constitutionibus.* & in *moralibus Theologia lib. 4. tra. 2. c. 16.*

Deducenda tamen sunt onera Ecclesiae, atque ita proventus aestimandi, ut hospitalitas erga peregrinos, misericordia erga pauperes, aliaque beneficentiae opera non praetermittantur, *argum. c. de Monachis 12. de praebendis.* & notavit *hic Abb. n. 2.* Praeterea, si Ecclesia numerata sit, sive certus in ea Canonicorum, aut Regularium numerus statutus, tunc ob quodvis reddituum augmentum, numerum non augendum esse,

PARAPHRASIS.
Cujusdam Ecclesiae capitulum statutum habebat, juramento firmatum, de certo Canonicorum numero instituendo; cum autem numerus ille imminutus esset, capitulares consuluerunt Eugenium Papam, utrum eum augendo implere teaneantur, non obstante, quod in Ecclesia ea Laici quoque alantur, qui & ipsi in numero Canonicorum computari soleant. Respondet Pontifex, cum Laici in Canonicorum numero censi non possint, ideo obligari eos, ut numerum decretum per Clericos, qui in Ecclesiasticis Ordinibus constituti, Deo in divinis officijs congrue servire valeant, implere non intermittant.

SUMMARIUM.
Jus Canoniae non potest cadere in Laicum, nisi hic saltem sit persona Ecclesiastica.

NOTANDUM. Jus Canoniae non potest cadere in Laicum, eo quod in spiritali officio fundatum sit. *c. 1. dist. 21.* & tradit *Innocentius hic*, ubi addit, quod jus Monachatus cadat in Laicum, videlicet conversum, qui tamen Ecclesiastica persona censetur, ita, ut gaudeat fori, & Canonis privilegij.

Id verò intelligi debet de Monachatu praecise spectato, juxta ea, quae traduntur à Gratiano *in causa 16. q. 1. super c. hinc est 30.* Monachos quadringentis circiter primis annis in monasterijs non esse ordinatos Clericos;